

Filium jam intelligitur beatus, et pro illo signo nondum intelligitur Filius, et consequenter neque Spiritus Sanctus qui a Filio procedit. Ergo salvatur vera cognitio beatifica antecedenter ad omnes tres Personas, ergo etiam in visione creata beatifica id poterit salvari. Minor est certa, quia Filius accipit esse divinum ex vi generativæ cognitionis: ergo pro illo signo in quo intelligitur Pater cognoscens, seu potens, ut generet, nondum intelligitur Filius genitus: ergo neque cognitus, quia per cognitionem redditur genitus, et sic si esset cognitus, esset genitus. Major autem certior est, quia pro illo signo rationis Pater æternus est intelligens totum, quod communicat Filio, communicat autem illi cognitionem beatam et comprehensivam sui; ergo habet pro illo signo cognitionem sui comprehensivam, cognitio autem comprehensiva Dei non potest non esse beatissima. Et deinde, quia pro illo priori Pater est sapiens a se sapientia divina, ergo et beatus a se, nec enim crescit in cognitione, et beatitudine per productionem passivam Filii.

XXXV. Respondetur negando antecedens. Ad probationem dicitur, quod Deus non habet a relationibus, seu Personis, quod sit summum bonum, non tamen id habet sine illis: sed ex eodem principio, quo est summum bonum, id est, quia est ens a se et actus purus, est etiam trinus in Personis, et sic sine illis non est summum bonum sicut nec Deus, nec actus purus, licet formalis ratio summi boni non sumatur a Personis, sicut anima non habet a corpore, quod constituat hominem, non tamen sine corpore illum constituit, et ita, qui videt hominem in se debet videre etiam corpus, et non solam animam. Divina ergo essentia non habet a relationibus

constituere summum bonum, sed non sine illis, quia sine illis aliquid magnum bonum deesset Deo, scilicet mysterium Trinitatis quod in illis exercetur, et in illo se habet essentia ut præbens totum esse, et relationes, seu personalitates totam terminationem. Et cum dicitur, quod Deus causat, seu creat, et est prima causa ratione unitatis essentiæ, non ratione Personarum, et sic etiam erit finis ultimus, et beatificabit ratione essentiæ, et non ratione Personarum, respondetur quod non potest beatificare ratione essentiæ, occultatis, seu non visis Personis, et ita ratione solius essentiæ non beatificat, si ly solius excludat Personas, ut necessario requisitas ad beatificandum, licet non præstent ipsam formalem rationem beatitudinis. Cæterum Deus creat effective ratione virtutis, et essentiæ ut est una, licet non se habeant Personæ: ut activitas influens ratione Personæ, et relationis. Disparitas est, quia ratio causæ activæ, seu creativæ in Deo pertinet ad virtutem, et potentiam divinam qua versatur erga ea quæ sunt extra se, scilicet erga creaturas. Ratio autem finis ultimi, et fruibilis, et assequibilis consistit in manifestatione Dei ut est in se. Virtus autem divina erga creaturas fundatur in Deo in eo, quod unum est, et commune omnibus Personis, scilicet in activitate, et actualitate ipsius esse divini, quod omnibus commune est. Unde ipsæ relationes per id quod relationis est, et proprium cujusque Personæ, et ut est opposita alteri non superaddunt aliquid virtutis, seu influentiæ, quia totum, quod influentiæ, et virtutis est commune est. Et sic ad causalitatem effectivam causæ primæ relationes, ut oppositæ, et ut plures non conducunt dando influentiam. Cæterum manifestatio Dei in se, quod pertinet ad rationem

finis ultimi ut fruibilis in se non potest sistere in ipsa essentia, et occultare Personas, quia sic non manifestaretur, ut est in se, sed aliquid occultaretur. In Deo autem, ut sæpe dictum est, idem est manifestari aliquid, et totum, et e converso occultari aliquid, et totum, quia quidquid Deus est totum est, et non pars.

XXXVI. Ad confirmationem aliqui hærent, et videntur concedere, Patrem pro illo signo non intelligi beatum nisi visione solius essentiæ, ut Vazquez docet hic disputatione XLVIII, num. XVIII, quia nostra cogitatione præscinditur illud instans, et intelligitur ut Deus, sed non consideratur, ut beatus perfecte, et plene. Quod in 1-2, disput. XIII, num. VIII explicat dicens, quod Pater in illo signo antequam generet, intelligitur a nobis quasi beatus, cum intelligatur ut Deus, non tamen est beatus, nisi videat Trinitatem. Addit autem, quod pro illo signo solum concipimus cognitionem Patris, ut notionalem, beatitudo autem est cognitio essentialis in Patre, non notionalis, si quidem est communis omnibus Personis, et sic pro illo signo non intelligitur, ut beatus. Sed hoc ultimum est manifeste falsum, quia pro illo signo intelliguntur convenire Patri omnia essentialia, alias non intelligeretur habere tunc essentiam, quam communicaret Filio. Ergo falso dicit Vasquez, tunc non intelligi Patrem ut beatum cum beatitudo sit aliquid essentialis, utpote commune tribus Personis. Quoad primum autem, scilicet quod pro illo signo non intelligatur plene beatus recte redarguitur ab Alarcon, hic disput. IV, capit. II, num. XXII, quia pro illo signo notionali intelligitur Pater habere totum, quod potest communicare Filio, sed communicat illi beatitudinem increatam. Ergo tunc Pater intelligitur beatus non minus, quam omnipo-

tens, et æternus, et immensus, et Deus. Ex quo etiam revincitur id quod aliqui dicunt, Patrem æternum non dici beatum ante cognitionem essentiæ in facto esse, et in termino, ita quod non intelligitur beatus antequam Verbum sit productum in termino, et in facto esse. De quo m. Gonzalez hic disp. XXXI, sect. II, num. XXVII. Constat enim, quod illa cognitio Patris æterni, etiam ut præcise essentialis est, et communis Filio, et Spiritui Sancto et non solum ut notionalis, et sibi propria est comprehensiva Dei, et intuitiva ejus: ergo beata. Antecedens patet, quia Pater communicat Filio, et Spiritui Sancto cognitionem Dei essentialis non autem notionalem seu fœcundam, et productivam Verbi, et communicat illis cognitionem comprehensivam sui, et consequenter beatam, ergo illa cognitio Patris pro illo signo comprehensiva et beata est.

XXXVII. Quare dicendum est, quod pro illo signo rationis illa cognitio constituit Patrem beatum, et comprehensivum Dei, et consequenter Personarum, imo et creaturarum, nam ex cognitione omnium Personarum, et creaturarum Verbum divinum per se procedere etiam per seipsum quartum modi, ostendemus infra q. XXXIV, eo quod per se procedit ut Creator, et spirator et ut Filius. Cum vero urgetur quod pro illo signo nondum intelligitur Filius ut cognitus, alias intelligeretur jam productus, distingo; nondum intelligitur ut cognitus objective, et essentialiter, nego; nondum intelligitur ut cognitus notionally, et dictus terminative, et in facto esse, transeat: ad beatitudinem autem sufficit cognitio essentialis Verbi, non notionalis et generativa, sicut patet, quod Verbum et Spiritus Sanctus, habent cognitionem beatam omnium Personarum, non ta-

men fecundam, et notionalem ad generandum Verbum. Neque hoc est ponere duplicem cognitionem in Patre sed unicam, quæ habet duplicem considerationem, scilicet et id quod essentialis cognitionis est, et quod communicat Filio, et id quod notionale, nec Filio communicatur. Et ex vi prioris considerationis intelligitur pro illo priori Filius ut cognitus et nondum ut dictus, licet in re sit dictus et genitus, sed non per illam cognitionem, ut præcise essentialis est, et sic potest habere illum pro objecto cognito essentiali cognitione, et nondum intelligi a nobis ut dictum et genitum illa cognitione ut notionalis est, id enim consideratio nostra partitur. Nec ex hoc quod Filius procedat per modum objecti cogniti, ut dicatur seu generetur, sequitur quod sit prior ipso Patre et generatione sui. Non enim sequitur, quod præcedat ipsum Patrem prioritate aliqua notionali, quia antecedentia objectiva seu per modum objecti non est antecedentia seu prioritas notionalis, ut patet in ipsa essentia, quæ se habet ut objectum fecundans intellectum Patris, nec tamen dicitur prior illi prioritate aliqua originis, nulla enim origo est inter essentiam, et Patrem. Quare quod Filius in ratione objecti cogniti præcedat nostro modo intelligendi, et Spiritus Sanctus et creaturæ ut objectum illius cognitionis comprehensivæ, qua generatur Verbum, nullum est inconveniens, quia est præcedentia seu distinctio per rationem nostram et in esse objectivo, sicut etiam unum attributum ratione nostra præcedit aliud, id est, distinguitur ab eo. Quod vero dicitur, quod Pater æternus est beatus a se, non ut ab unico objecto representato quo beatus sit, sed ut a principio improducto, et non accipiente ab alia Persona.

ARTICULUS II.

Quomodo visio beatifica penetret divina decreta libera?

I. Specialis difficultas est circa decreta libera Dei erga creaturas, quia licet in sua entitate aliquid increatum sint, et idem cum actu necessario, quo Deus se amat, et ex hac parte qui videt entitatem Dei, debeat videre entitatem actus liberi sicut et necessarii, eo etiam modo quo videndo divinum conceptum, et cognitionem debent videri omnes ideæ quantum ad entitatem, qua sunt ipse conceptus Dei; tamen quantum ad ipsam denominationem, et for malitatem liberi, et ut tangit creaturas ad quas terminatur, difficultas est quomodo possint penetrari et attingi ex vi luminis et visionis quidditivæ Dei in se. Nam liberum ut liberum ex ipsa ratione sui occultum est cognoscenti, imo et comprehendenti quidditatem aliqujus rationalis naturæ, ut patet in creaturis rationalibus; nam Angelus superior comprehendit inferiorem, et comprehendit hominem, et tamen cogitationes cordis nullatenus ex vi comprehensionis attingit, nisi alter voluerit revelare. Ergo multo minus lumen gloriæ quod datur ad videndum, et quidditative cognoscendum Deum, ex vi sua non penetrat liberos actus Dei ut liberos. Nam quoad istam connaturalem occultationem parificantur ab Apostolo ea, quæ sunt libera in homine, et in Deo, ut patet I Corinth III: *Quis scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est, ita et quæ Dei sunt nemo cognovit nisi spiritus Dei.* Ergo non minus occulta sunt decreta libera cognoscenti quidditatem divinam, quam sint occultæ cogitationes cordis cognos-

centi quidditatem hominis, et sic ex vi luminis manifestantis quidditatem Dei non possunt cognosci decreta libera ejus. Quod si recurratur ad specialem revelationem præter lumen gloriæ, difficile valde explicatur quomodo per illam videantur actus liberi Dei. Nam vel ista revelatio fit extra Verbum, vel non. Si primum, ergo non cognoscitur actus liber Dei per visionem beatam, sed solum per aliquem effectum extra Deum. Si secundum, ergo per lumen gloriæ debet fieri talis revelatio, quia quiddid cognoscitur in ipso Deo, per lumen beatificum debet cognosci, et sic redit difficultas posita, quomodo lumen videns essentiam divinam attingat libera decreta.

II. Nihilominus tamquam certum supponendum est beatos videre aliqua decreta libera Dei, et actus voluntatis ejus, licet non omnia. Quod est contra duas sententias extreme contrarias, quas refert pater Suarez libro secundo de attributis negativis, capit. XXIV, quarum una dicebat nulla decreta libera videri a beatis, alia vero dicebat omnia videri, quia entitas omnium videtur quoad substantiam. Cæterum Divus Thomas aperte docet nostrum præsuppositum. Nam prima parte, quæstione XLVII, articulo quinto, docet non posse Angelos naturali vi cognoscere mysteria gratiæ, quia dependent ex sola voluntate Dei « Est autem, inquit, alia cognitio, quæ Angelos beatos facit, quia vident Verbum, et res in Verbo. Et hac quidem visione cognoscunt mysteria gratiæ, non quidem omnia, neque æqualiter omnes, sed secundum quod Deus voluerit illis revelare. » Et tertia parte, quæstione decima, articulo secundo, docet nulli beato deesse, quin cognoscat in Verbo omnia, quæ ad ipsum spectant. Et quia ad Christum ut hominem spectant omnia

quæcumque de facto sunt, vel erunt, omnia hæc videt in Verbo. Constat autem quod ad cognoscenda ista omnia, oportet cognoscere actus liberos Dei, a quibus dependet existentia vel futuritio eorum, quæ de facto sunt, vel erunt. Videri etiam potest Bernardus v de consideratione, capite IV, ubi de beatis loquens: « Quidni, inquit, videatur ibi cor Dei? Quidni ibi probetur, quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens, et perfecta? Patent viscera misericordiæ, patent cogitationes pacis, divitiæ salutis, mysteria bonæ voluntatis, etc. » Videndus est etiam Divus Thomas quæst. VIII de verit. art. IV ad I, ubi docet illuminari Angelos inferioris a superioribus de consiliis, et rationibus divinorum operum, quæ perfectius cognoscunt, idque probat ex Dionysio, VII capit. de cœlesti hierarchia; consilium autem Dei pertinet ad decretum voluntatis, quia omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, et talia consilia, seu rationes videri ab ipsis in essentia divina docet expresse D. Thomas I part. quæst. CVI, art. I ad primum.

III. Ratio autem hujus manifesta est, quia Deus etiam in hac vita per fidem plura manifestat hominibus, quæ pertinent ad libera decreta sua, et liberam voluntatem, sicut sunt plura mysteria gratiæ, quæ Deus libere operatus est, sicut Psal. XXX dicitur: *Incerta, et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi:* et Amos III: *Non facit Dominus verbum nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas:* et I ad Corinth. II, cum dixisset Apostolus: *Quod ea, quæ sunt Dei nemo cognoscit nisi spiritus Dei;* subdit: *Nos autem non spiritum ejus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Ergo non minus in patria manifestabuntur beatis illa ip-